



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Instantia Promotorum de fidei professione præstanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

eis conspicuis intra septa sessionalia in omniū conspectu proposita fuit Tabella disciplinæ Synodalis impressa.

Hæc habetur item supra pag. 864.

De Missa.

Processionem absoluta, Illustris. Archiepiscopus ad sedē Archiepiscopalem sub umbella se recepit, ibiq; pluuiale exiit, & casula sumpta ad altare progressus, Missarum solennia peregit. Quibus absolutis, iterum casula, & dalmaticis depositis, Pluuiale induit, & in sessionem, quæ in ingressu Chori ad primos gradus dispensata erat, cum Reu. Capitulo, & Clero Metrop. descendit; reliquos verò Clerus in gremio Ecclesiæ paulò inferius ordine confidebat.

De precibus.

Omnia in Synodo, & loco benedictionis ordine confidentibus, Illustris. Archiepiscopus statas preces ad inchoandam Synodum ex libro Pontificali surgens exorsus est.

Oratio mentalis per Reuer. Archidiaconū indicta his verbis. Orate Fratres, vt in Pōtificali, tum litanæ, & alia de more, & Euangelium de suggestu.

De Concione & alijs deinceps.

TVM Illustris. Archiepiscopus suggestum ascendit, habuitq; concionem, sicut & reliquis deinceps diebus. Eæ verò conciones supra positæ sunt fol. 78.

Absoluta concione, Illustris. Archiepiscopus ad sessionalem locum redijt. Hym. Veni Creator spiritus. canitur, ac etiam reliqua ad præscriptum Pontificalis peracta sunt.

Illustris. Archiepiscopo sedente, indicto silentio per Archidiaconum, Can cellarius præeunte Magistro Cæremoniæ ad Illustris. Archiepiscopum accessit, & ab eodem decreta, quæ de suggestu legeret, accepit: atq; illa quidem hæc sunt, quæ sequuntur.

Decretum de modo viuēdi tempore Synodi, seu de disciplina Synodali. Illud

autē supra habetur secunda parte Actuum in Synodo Diocesana VI. & VII. pag. 73. & 77. decr. 1.

Deinde lectum fuit decretum de ministris Synodalibus quod incipit, Quoniam verò in huius Synodi cura: & habetur supra pag. 73. decr. 1. ad finem. Itē decretum de præiudicio non afferendo. Habetur supra pag. 74. decr. 3.

Decretum de non discidendo. pag. 77. decr. 2. Cui illud etiam adiunctum est.

Qui item interfunt, à sessionali loco non discedant, sine facultate à nobis, seu Vicario nostro Generali, alijsq; Ministris à nobis deputatis.

Postea decretum de oratione publica. Habetur supra pag. 77. decr. 3.

Tum institerunt Promotores pro fidei professione emittenda.

Instantia Promotorum.

Illustris. ac Reuerendis. in Christo Pater, & Domine &c.

Cauit sanctum Concilium Tridentinum, vt omnes, qui in posterum beneficia Ecclesiastica assecuti sunt, & qui Synodo Diocesana conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem recipiant, profiteantur, & præsentent, prout illa Tridentina sanctione expressum est: ideo nos N. & N. huius XI. Synodi Promotores, humiliter petimus, & requirimus, sanctionem illam legi, & ad præscriptum, ab ijs qui tenentur, omnia & singula præstari.

Tum decreto de professione fidei, quod habetur supra pag. 75. decr. 5. & binis illis constitutionibus, vnâ scilicet Tridentina, altera Prouinciali, ac formula eiusdem professionis de suggestu lectis, qui fidei professionem præstituri erant, omnes corā Illustris. Archiepiscopo genuflexi, donec formula Pij III. ex suggestu pronunciata, & lecta fuisset, paulatim deinde terni & quaterni ad eundem Illustris. D. accesserunt, & fidei professionem breui hac formula emisserunt, & ad sancta Dei Euangelia, quæ Illustris. Archiepiscopus suis manibus

nibus tenebat, iurauerunt, & singuli de-
osculati sunt, & recedentes nomina sua
Cancellario dederunt.

Formula Breuis profess. fid.

EGo N. recipio, promitto, spondeo,
profiteor, detestor, anathematizo,
voueo, & iuro, vt in decretis, & formula
professionis fidei ex bulla modò lectis,
singula singulis referendo: sic me Deus
adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Fidei professione publicè præstita
per eos qui tenebantur, indicta est de
suggestu continuatio sessionis pomeri-
dianæ.

Indictio continuationis sessionis.

Decernimus, & indicimus continua-
tionem huius sessionis fore hodie
hora 2 r.

In qua sessionis continuatione, vni-
uersi & singuli, qui huic Synodo xi. in-
teresse quouis modo debent, nominatim
vocabuntur, scrutinium Synodale fiet,
& sigillatim, & vniuersè, generatimque
ex præscripta tabella. Quamobrem om-
nes singulique, qui diuinis canonicarum
horarum officijs recitandis adstricti
sunt, breuiarium, ac huius anni calenda-
rium afferant, ad præscriptum Synodi
Dioecesanæ quartæ. Parochi item affe-
rant hodie cathedraicum, quod soluét
æconomus nostro.

Postea Promotores accersito Cancel-
lario accusauerunt absentium contuma-
ciam, & institerunt apud Illustriss. Ar-
chiepiscopum, vt contra absentes, qui
se legitimè non excusauerunt, procede-
retur vt infra.

Instantia Promotorum contra absentes,
& accusatio contumaciæ.

Illustriss. & Reuerendiss. Domine.

Cum iam dies decima mensis Maij
habierit, qua omnes & singuli Eccle-
siastici ordinis homines huius vrbs &
Dioecesis legitimè per publicum edictum
moniti, Synodo huic xi. iam præsentem
adesse debent; cumq; multi non parue-

rint, sed vsque adeo vel negligentes vel
contumaces fuerint, vt neque præsentem
adsum, nec verò iusti impedimenti ex-
cusationem, causamve, aut nuncium
miserint: ideo pro muneris nostri offi-
cio, Nos N. & N. huius xi. Synodi pro-
motores, eorum contumaciam accusa-
mus; hocque instamus apud Illustriss.
& Reuerendiss. Amplitudinem tuam vt
citationem valis Ecclesiæ huius Metro-
politaneæ assignendam committat; cum
ijsdem tanquam inobedientibus agi iu-
beat, prout iuris est, & sacrorum cano-
num ratio postulat.

Illustriss. & Reuerendiss. Archiepi-
scopus audita instantia & requisitione
Reuerendiss. Promotorum, respondit
his verbis.

Decretum contra absentes.

Admittimus, committimus, & de-
cernimus. Tum ad Cancellarium
conuersi Reuer. Promotores, pro rogatu
actorum in hac sessione institerunt.

Instantia Promotorum pro Rogatu.

NOS N. & N. huius xi. Synodi
Promotores, rogamus te Dominum
N. vt de omnibus & singulis in hac ses-
sione peractis, vnum vel plura conficias
instrumenta.

Responsio Cancellarij.

Conficiam præsentibus &c.

Et hæc omnia peracta fuerunt publi-
ca sess. vt supra, adhibitis etiã testi-
bus admodum RR. Dominis N. præpo-
sito, & N. Decano Ecclesiæ Metro-
politaneæ.

Contra contumaces absentes per edi-
ctum ad valuas actum est.

Absoluta hac matutina sessione, Illu-
striss. Dominus exiit Pontificalia para-
menta absque benedictione, cum sessio
à prandio continuanda foret, & cappam
induit, ac in ædes Archiepiscopales re-
uersus est.

Nè verò Clerus perturbato ordine
discederet, sed modestè, & Clericali gra-
uitate.